



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Goar Conf. 6. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

diceres, qui saxa etiam traheret. Præsul Hirsau-  
 gienſis in miſeros tam pius fuit, ut his veſtiendis  
 non ſemel panẽ ſcipſum nudavit. Sed nimirum  
 ſœnus à nullis majus, quàm ab his ipſis, qui redde-  
 re nihil poſſunt, avarus ſperet. Hoc certè WIL-  
 HELMVS tunc tulit, cùm in ſuorum uſus pondo ar-  
 genti V. ab ignotâ terris, ſed non etiam cælo manu  
 abſtulit. Quid jam horrea memorem, quæ, quòd  
 WILHELMI liberalitas exhauiſſet, ſubitam mi-  
 ramque meſſem; quid cellam, quæ effuſo per ne-  
 gligentiam vino, novam in dolio vindemiam vi-  
 derunt; quid piſcatum feliciffimum? cùm miſſum  
 ſapitũs in aquas rete præter laborem inanem diu  
 nihil, poſt imperio Divi Chriſti que nomine im-  
 miſſum ingentem piſcium prædam retulit. Taceo  
 hæc aliæque à morte miracula; & revocatam per  
 WILHELMVM ad primas leges D. Benedic̃ti per  
 omnem ferè Galliam & Germaniam familiam, &  
 ad Religioſæ vitæ amorem viliffimæque in hæc  
 munia excitos nobiliſſimos juvenes laudo, piſca-  
 tum priori longè præferendum. Cæterùm aſtra  
 ſua WILHELMVS propioribus oculis aſpexit an-  
 no Chriſtiano M.XCI. *Ex Trithemio.*

*Elemoſynam, quantum poſſumus. & quamdiu vi-  
 vimus. & ipſi habere, & alius impendere ſeſtinemus,  
 ut ſecuri poſſimus in die Iudicii dicere: Da Domi-  
 ne, quia dedimus; nos ſecimus quod juiſiſti, tu im-  
 ple quod promiſiſti. B. Cæſar. hom. 15.*

## S. GOAR CONF. 6. Iulij.

Vitæ meritiffimo inter Apoſtolos ſuos GOAREM  
 numerant Treverenſes, ut quibus ille ſuperſti-  
 tione implicitis inter primos DEVM nuntiavit.  
 Sed dum illum æquis auribus vel maximè audit  
 popu-

populus, iniquus invidia oculis spectavit. Quare more suo subornavit, qui apud Archiepiscopum innocentiam ejus insimularent. Gemini erant & fraudibus & mendaciis compositi. Eos GOAR ad se venientes, ut vindictam Christianam sumeret, amicè accepit & ad mensam invitavit. Sed eadem invidia, quæ non nisi infelicitate GOARIS pasci, nec bibere nisi huius sanguinem avebat, respuit aliis famem aut sitim pellere. Quare exitimere defecissent scilicet, nisi semper ad vindictam vigilans GOAR feras Christi imperio advocasset, & earum lacte recreatos hostes animam sibi fecisset debere. Ad tribunal Archiepiscopi ubi ventum, luce clariùs meridianam apparuit innocentem esse GOAREM, quando pallium suum in ipsius solis radiis suspendit. Adhæc ex puero projectio cum jussu Archiepiscopi nomen parentis quaesisset, ecce facundissimus infans linguam digitoque ipsum Archiepiscopum prodidit. Erat hoc scilicet absolvere reum & Iudicem damnare. Quare populus ad infulam GOAREM velle vocare, & cum respueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum ægritudo absolvit, quam precibus à cælo extorsit. Præstare credidit morbo quam ambitione laborare. *Ex Surio.*

*Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur, & quia laqueus est mortis lingua sua, furronis & bilinguis, parcat unusquisque anima sua, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat. Ama pacem & tranquilla sunt omnia. S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

S. GODELEVA MART. 6. Julij.

Quoties fallit Amor, positamque larvâ tyrannum se ostentat? Ecce hic etiam dies exemplum